

Cartulaire de Marmoutier pour le Perche (N.-D. du Vieux-Château Collégiale de St-Léonard de Bellême et Prieuré de St-Martin-du-Vieux-Bellême), Nr. 34

In nomine Jhesu Christi, ego Botrodus Perticensium comes et dominus notum facio universis, tam presentibus quam futuris, quoniam Hemericus de Vilereio vendidit pro XXXV libris Andegavensibus sibi et fratri suo centum solidos Gaufrido, in presentia mea, cum assensu Gaufridi fratris sui et sororum suarum, monachis de Belismo, quicquid juris et consuetudinis et justicie ipse habebat in tera eorum apud Dance, ita quod prefatus Hemericus nichil unquam reclamabit, nec in terra, nec in hominibus, nec heredes sui, et hoc resignavit in manu mea, et ego monachos investivi. Hanc venditionem firmiter tenendam assecuravit predictus Hemericus et Gaufridus frater ejus, fide eorum corporaliter prestita et juramento prestito super altare apud Vilereil. Testes sunt isti : Gatho de Vicheris, Guillelmus de Voire, Nicholaus d'Amillei, Nicholaus Le Viandier, Guillelmus de Bevreria, Adam de Loseel, Nicholaus de Vaunoise, Johannes de Rupe, Willelmus de Villereil, Garinus Bouleaus, Roger Ignard, Aubertus de Jarriei, Barrachin de Tilio, Hugo Le Viandier, Hubertus Ignard, Johannes d'Ivrece, Robin Ignard, Gefrein de Vilereil. Ut autem predicta venditio stabilis et firma habeatur, sigilli mei et sigillorum filiorum meorum munimine roboratur. Actum anno gratie M C nonagesimo, mense junio.